



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Difficult. I. Explicatur jus justitiæ in nostris principiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

demus autem hinc maximè ad divisionem juris pro potestate exigendi, accepti; non autem ad juris divisionem à jubendo derivati: quia de hac aliàs.

Prima & maximè universalis divisio juris, superior ipso jure justitiali, est in jus morale & legale, de quo vide Tanner. d. 4. q. 1. n. 107. jus legale est jus justitiale, vel quasi justitiale: quia etiam per Theologos Religio, & Pietas important jus legale, cum tamen neutra harum virtutum sit rigorosè justitialis, sed nonnisi revocabilis ad justitiam. Jus autem morale fundatur præcisè in obligatione debitæ rectitudinis, & ordine se habendi. Dicta juris legalis descriptio, non est rigorosa definitio, similis ei, qua entitas per ens, ens per entitatem explicatur. Jus legale dividitur in legale simpliciter hoc est rigorosè justitiale, & in legale secundum quid, seu non habens omnes conditiones justitiæ. Juris autem legalis simpliciter, est

Secunda & universalissima divisio, in jus in re, & jus ad rem.

Missis aliorum definitionibus. Jus in jure commodius definitur à Raynaudo de virtute lib. 3. f. 1. n. 20. Est facultas, quam quis habet in rem jam suam. Vel, si mavis dicere obtentam. Jus verò ad rem est facultas, quæ habetur ex aliquo titulo, in rem debitam, nondum obtentam. Jus autem personale in re coincidens per Raynaudum cum jure ad rem, sic idem definit. Est facultas adversus personam, & non directè in rem certam. Jus autem reale coincidens cum jure in re, est facultas, seu jus in rem, non in personam. Possetque defendi, quod etiam jus ad fructus, sit jus in re, non quidem possessa in se, cum nondum existat, sed possessa in aliquo sui, nempe in causa, radice, principioque illius.

Tertia divisio est ipsius juris in re, in jus in re perfectum: estque latius loquendo, dominium, ut supponit tam pro dominio proprietatis tantum, quam pro dominio etiam usus fructus. Aliud autem jus in re, est imperfectum, quod infert quidem rei hinc & nunc habitationem legitimam, sed cum imperfectiore ad huc titulo: tale jus est depositarii in depositum. Creditoris in pignus &c. similia. Ipsum autem dominium illud, latius loquendo, pro primo divisionis membro sumptum, quomodo dividi debeat, inferius dicetur, ubi de dominio.

Plures alias divisiones, præter adferendas de jure à jubendo, & de jure domini; vide apud citatum Tanner à num. 107.

PRÆMITTO 3. Quod jus, sit objectum remotum justitiæ, docet ex Arist. S. Thom. cit. q. 57. in corpore justum (quod inibi S. Thom. ponit pro ly jus) est objectum justitiæ: dicit enim Philosophus in 5. Eth. c. 1. Quod omnes talem habent volunt dicere justitiam, à quo operari vi justorum sunt.

Ergo jus est objectum justitiæ. His præmissis sit.

QUÆSTIO I.

De jure, prout est Objectum justitiæ.

IN præsentī Quæstione, est difficultas inveniendi ultimo resolutorio honestatis justitialis: Si enim quæram, redditio alieni estne honesta actio? affirmabis; quæram, cur? dices, quia est honestum facere æqualitatem justitiæ; quæram, quid sit facere æqualitatem justitiæ? dices, facere secundum jus alterius justitiale: nam non quodcumque jus, est mensura æqualitatis justitialis. Quod si jus justitiale est mensura æqualitatis justitialis, restat quærere, quid illud jus? ne circulum committas, æqualitatem justitialem per jus, jus autem ipsum, quod est mensura æqualitatis justitialis, per jus justitialem explicando.

Pythagorici apud Arist. lib. 5. Eth. c. 5. explicant jus, per retaliationem. Videtur autem nonnullis retaliatio & absolutè & simpliciter, jus ipsum esse. Hæc autem retaliatio stat in hoc, ut quod feceris uni, hoc etiam tibi irrogetur; & si abstulisti unum, reddas unum. Cæterum impugnat Arist. hanc sententiam. Tum quia. Si Magistratum quis gerens percussit, reperiendus non est; si autem Magistratum gerentem, quis percussit, non solum est percutiendus, sed etiam supplicio afficiendus. Ergo apparet, eo casu, licet jus intercedat, non intercedere retaliationem, consequenter jus & retaliationem idem non esse. Tum quia. Quod spontanei an inviti fecerimus, multum refert inquit idem. Ergo, retaliationi non erit locus. Casu enim, quo inviti fecerimus, non debemus retaliari: & ita, si quis putans hostem in bello, rem prudenter discutiendo, occiderit civem, non est occidendus. Tum quia, (quod primum ponit Philosophus) in distributiva non datur locus contra passum, aut retaliationi: distributiva enim importat inæqualitatem materialem, ex eorumque tribuit digniori præindigno, casu quo æqualia fuerint: retaliatio autem omnimodam æqualitatem vult: per hoc tamen non negatur, quod in multis actibus justitialem interveniat etiam retaliatio, & contra passum. Ut ergo explicetur, quid sit jus prædictum. Sit

DIFFICULTAS I.

Explicatur Jus justitiale in nostris Principiis.

MEORUM Magistrorum Magister P. Laurentius Pikarski dicebat ex Arist. 5. Eth. c. 5. nihil aliud esse jus, quam indigentiam complementi fortunæ, seu in bonis. Quæ sententia proponetur hinc, & defenderetur.

Pun-

Punctum Difficultatis I.

Explicatur *Ius Iustitiae* ex Aristotele.

PRÆMITTO I. *Hominem ex naturalibus suis Principiis indigere communione vitæ.* Ratio: quia cum unusquisque non habeat ea, quæ aliter, sed hic abundat aliquo, hic eget? aliquo modo reducendo se ad statum perfectum, communicare inter se debent. Quod puto esse verum independenter ab ipso peccato originali: quia etiam stante iustitia originali, multiplicatio autem genere humano, potuisset fieri, imò & rationabiliter facta fuisset, ex divisio bonorum. Nam per graves Auctores potuissent peccare mortaliter in aliis materiis, & per omnes, saltem venialiter: & cum materia peccati non potuisset esse bonum possessum? dati aliqui fuissent minus affecti agriculturæ, sed magis v.g. artibus, venationi &c. consequenter data fuisset occasio communionis vitæ per rerum v.g. commutationes. Universaliterque hoc resolvitur in hoc Principium: quia homo est animal sociabile: sociabile autem non esset, si communione vitæ careret.

PRÆMITTO 2. *Communione vitæ debere esse diverso respectu inter aequales, & diverso respectu inter aequales;* debet quidem esse inter aequales: quia inter Deum & creaturas non dicitur intercedere communio vitæ, ob summam inæqualitatem? nec inter Dominum & servum. Fundaturque hoc ulterius in hoc Principio: quia communio vitæ trahit secum iustitiam, adeoque æqualitatem. Deinde, quia si unusquisque suo superabundanti non æquet superabundans alterius, non poterit fieri inter illos communio vitæ; hæcque æqualitas, potest appellari æqualitas diversi superabundantis. Hanc æqualitatem requisivit Arist. 5. Eth. c. 6. Ubiloquitur de liberis & æqualibus, venientibus in communionem vitæ. Alio respectu venientes in communionem vitæ, debent esse inæquales; hocque expressit Arist. non enim ex duobus Medicis societas fit, sed ex Medico & agricola, quasi diceret duo Medici v.g. non ineunt communionem vitæ: quia superabundans idem habent, nempe superabundans artis Medicæ, si autem superabundans idem habetur, quæ poterit fieri permutatio? sed quia Medicus superabundat arte, agricola frumento, bene ad invicem poterunt ingredi communionem vitæ, adeoque permutare, cum habeant æqualitatem diversi superabundantis, inæqualitatem autem, quia non eodem superabundant.

PRÆMITTO 3. *Communione vitæ exigentem diversa superabundantia, non posse actu perfici, nisi in permutatione, distributione, & ceteris, superabundantium intercedat æqualitas.*

Verba Arist. sunt: *Oportet igitur, quotus est edificator, aut agricola ad sutorem, tot calceos ad domum, aut alimentum æquiparari, nisi enim ita sit nec permutatio, nec societas esse ullo modo poterit, id autem non erit, nisi aequalia omnia quodammodo inter se sint:* Et Ratio est, quia inæqualitas revocat à communione vitæ. Ergo apparet, sine æqualitate illam non haberi; sed sequitur ruina; & subversio communionis.

PRÆMITTO 4. *Æqualitatis hujus servanda in communione vitæ, debere dari mensuram.* Ratio est, quia promptum est hominibus superabundanti suo tradito, attollere illud; promptum etiam suum daturis invenire rationes, pro non dando tantum ex suo superabundanti; debuit ergo taxa aliqua & mensura communis inveniri. Quia verò ipsa indigentia, est principium communionis vitæ, & ipsa debet esse mensura æqualitatis, quæ ultimo complet communionem vitæ, & sicut in physicis à quibus respondet in fieri, pendet & in conservari: sic etiam à quo principio pendet communio vitæ, ab eodem pendet & taxa æqualitatis, quæ ultimo complet communionem vitæ; hocque significavit Arist. *Oportet inquit, ut uno quodam sicut dictum est etiam prius, cuncta mensurentur, & id est revera quidem indigentia.* En Arist. indigentiam, pro ipsa ratione formali æquandi, agnoscit. Inferius eadem claritate loquitur Arist. compingendo etiam totum discursum à nobis allatum; *Neque ulla esse societas potest, nisi sit permutatio, neque permutatio, nisi sit æqualitas, neque æqualitas, nisi sit etiam commensuratio, ac re quidem vera fieri non potest, ut, quæ adeo distant, commensurabilia efficiantur. Sed pro indigentia tamen ratione satis commodè fit.* Cumque sibi objecisset, quod interdum homines non indigeant, & tamen permutationibus veniunt in communionem vitæ, accipiendo scilicet pecuniam, dandoque res; ad hoc respondet. *Sed licet nunc non indigeat quisquam, pro futura tamen permutatione, quasi sponsor, si indigentia inciderit, eam fore nobis, intercedit nummus.* Quasi dicat, fieri tales permutationes ratione indigentia, quæ poterit esse postea, cum tamen nummus permanens, possit ingredi permutationes.

Quod eadem indigentia sit mensura æqualitatis adferri illa verba possunt, quæ immediate, & eodem capite, discursum concludens de indigentia subdit. *Quid igitur injuria? quid item jus sit, dictum est.* Ergo apparet nomine juris, indigentiam illum accepisse.

PRÆMITTO 5. *Indigentiam duplicem spectari posse.* Prima, quæ venit cum suo superabundanti, in communionem vitæ, ut possit esse principium explendæ indigentia aliis. Et hæc appellari potest indigentia Aristotelica, atque mensura æqualitatis: Si enim ille suo superabundanti

R. P.
TH. MLOD
J. J. WSK
Tom. 3. et 4.
D. VI
6

bundanti explevit tuam indigentiam, titulo acquirendi tui superabundantis, æquari non poteritis, nisi secundum proportionem indigentiarum, cui unus satisfecit, tuo superabundanti, vicissim expleas indigentiam illius. Secunda indigentia est mera carentia superabundantis, hæc aliquo quidem casu est jus, & mensura æqualitatis & ita v.g. in casu extremæ necessitatis indigentia adfert jus ad bona exdivisa, eò quod sub initium homines inter se, vel potius ipsa natura, per lumen rationis, pacta sit, jus esse unicuique in extrema necessitate, ad hæc se inferiora; ne eorum defectu, universum patiatur damnum, morte v.g. nobilioris creaturæ. Et eadem indigentia est mensura æqualitatis: nemo enim ex justitia tenetur ad plus, quam hic & nunc sit necessarium ad sublevandam indigentiam. Sed de cætero hæc indigentia non est jus: si enim tu tuo superabundanti non explevistis indigentiam alius, non habes vim adstrictivam, ut alius suo superabundanti expleat tuam.

Quod si quæras in casu extremæ necessitatis, quamvis indigentia sit jus, quamvis taxa dandi, quomodo tamen tunc venit indigens cum suo superabundanti: ad quod dici potest, quod tunc solum superabundans est necessarium, quando meum, redditur tuum, & tuum, redditur meum; adeoque cum exercetur communio vitæ per communicationem bonorum ad invicem, quæ tunc non fit, sed dans non dat de proprio, sed dat indigenti de indigentis bonis, in quæ titulum non donatione, sed jure, proprio habet, hinc etiam invito & inscio accipere potest: non enim accipit nisi suum.

PRÆMITTO 6. Hanc ipsam indigentiam, venientem cum suo superabundanti in communionem vitæ, duplicem formalitatem habere. Prima, in quantum hæc indigentia est expletiva suo superabundanti indigentiarum alterius, habetque formalitatem juris: quia autem nullum est jus, quod non sit respectivum ad debitum, etiam hanc formalitatem habet indigentia, in quantum jam expleta superabundanti alterius, sic enim fundat debitum.

PRÆMITTO 7. Quod hæc indigentia, si sit æquativa in communionem vitæ, sit etiam æquativa in ratione iustitiæ. Ratio: quia ubicunque non est communio vitæ, illic non est justitia; & ubicunque est justitia, illic est communio vitæ. Ergo, apparet utrumque hoc eadem æqualitate regulari; aliàs, si diversa regularentur, posset ad invicem esse sine se. Antecedens probat inductio. Nam justitia reperitur manifestè in distributionibus debitis; communio etiam vitæ, exercetur in distributionibus. Justitia exercetur commutationibus, communio etiam vitæ commutationibus, & sic de reli-

quis &c. Et certè fingatur homo esse animal non sociabile, deerit communio vitæ, sed nec supererit ulla justitia, ullave injustitia, & si non erit sociabile, etiam quoad sua intrinseca, nec internarum justiciarum locus erit. *His Præmissis*

EXPLICATUR. Quid sit jus. Homines indigent communionem vitæ, ut dixi Præmissis Primo. Hæc communio debet esse, inter habentes suum superabundans, ut dixi Præmissis Secundo. Hoc ipso superabundanti, ut ingrediuntur homines proximè communionem vitæ, debet esse æqualitas superabundantium, quibus perfici debet communio vitæ, ut dixi Præmissis Tertio. Hæc æqualitas non potest esse sine mensura; hæcque mensura est ex Arist. indigentia, ut dixi Præmissis Quarto. Et quidem indigentia non qualiscunque sed indigentia cum suo superabundanti, veniens ad explendam vicissim indigentiam alius, ut dixi Præmissis Quinto. Quæ indigentia, in quantum est principiativa expletionum, suo superabundanti indigentiarum alius, est jus; in quantum autem jam est expleta, vocatur debitum, ut dixi Præmissis Sexto. Et justam communionem vitæ, quam justitiam ultimò æquans.

Breviter autem jus, de quo hic, non est aliud, quam indigentia complementi fortunæ, prout est principium suo superabundanti expletivum indigentiarum alius. Nomine autem, Fortunæ, non intelligitur Dea illa Ethnicorum; nec intelligitur casus, seu eventus fortuitus; sed, nomine Fortunæ intelligitur forma, à qua dicitur aliquis fortunatus. Nomine autem ipsius fortunati, intelligendo eum, qui abundat bonis, denique nomine ipsorum bonorum intelligendo, non tantum divitias, sed etiam famam & honorem. Breviter ergo, indigentia complementi Fortunæ, erit indigentia complementi in bonis.

PROBATUR I. Bonitas explicationis, manifesta Auctoritate Arist. citati. Præmissis Quarto.

RESPONDET Pr. Theodorus Loucistein; Quod indigentia sit, ut plurimum radix, origo, & occasio communionis vitæ, non autem mensura æqualitatis; dicitque se hoc ex S. Thoma habere.

CONTRA. Quia in dictorum textuum explicatione non habet hoc S. Thomas. Deinde, fateor quidem, quod Arist. agnoscat indigentiam esse etiam occasionem communionis vitæ, sed insuper agnoscat esse, illam rationem formalem æquandi. Nam cum sibi proposuisset, permutationes non posse fieri sine æqualitate, æqualitatem sine commensuratione, hoc commensurativum, dicit esse indigentiam. *Oportet inquit, ut uno quodam cuncta mensurentur, at id quidem indigentia est.* Quod autem erit com-

menforativum, id non erit occasio: hæc enim non mensurat, sed ducit ad permutationes.

PROBATUR 2. Rationibus prædicti Auctoris sententiæ. Tum quia, venientes in communionem vitæ, & inquirentes æqualitatem, investigant eam mediante indigentia: unde licetantes cum Patre familias operarii, dicunt se indigere majori superabundanti Patris familias hoc est v.g. pecunia: quia indigentia, quam habet ipse laborum & operarum, quo illi superabundant, sufficenter ab illis satisfit, non tamen, contra, ab illo, indigentia illorum. Rursus, ut probent homines æqualitatem vel in æqualitatem pretii, recurrunt ad indigentiam: nam si faber opus suum vendat, dicit se indigere majori pretio; quia modo major est talis opera indigentia, quam ante, subordinatis artificibus plus quam ante solvitur, tributa majora dantur &c. E contra, alter diminuit pondus illius indigentia, eo quod alio modo satisfieri possit suæ indigentia, quam opera illius fabri. Negat plus solvi subordinatis, negat denique in hoc vendendo haberi debere rationem tributorum. Ex quibus omnibus stabilitur hæc Propositio. Per quod indagatur æqualitas, redditurque pro ratione æqualitatis, vel in æqualitatis, illud est ratio æquandi: talis autem est indigentia. Quod si indigentia est ratio æquandi, erit jus; hoc enim est mensura æqualitatis. Tum quia. Quod est ultimum resolutorium æqualitatis, est jus: Sed indigentia est tale resolutorium: si enim quæram, quare commensurastis? quia æqualia pro æqualibus accepimus, dedimus; quæro, unde de hoc, quod æqualia pro æqualibus? quia, inquit, non plus dedimus, quam acceperimus; quæro, hoc ipsum unde cognoscant? respondent, quia quo ille indigebat a me, titulo sui superabundantis; mihi oblatus, hoc habuit; & vicissim ego, quo indigebam ab illo, titulo mei superabundantis illi oblatus, hoc vicissim habui. Tum quia. Nominis juris per omnes venit principium æqualitatis, seu vis quædam constrictiva & adactiva permutativum ad æqualitatem. Sed talis est circumscripta indigentia: quia posito, quod indigentia suo superabundanti expleverit alius indigentiam, ut compleas fortunam illius, servetque communionem vitæ; teneris tuo superabundanti, exple alius indigentiam.

PROBATUR 3. Quod convenit omni, soli & semper, justitiæ, tanquam ratio æquandi, illud est jus: de hoc enim procedit quæstio. Sed indigentia est talis. Nam, quoad primum, in commutativa justitia reperitur indigentia, tanquam ratio æquandi; ut probant adlata: in distributiva idem contingit; quia est in Republica indigentia militaris fortitudinis superabundantia autem dignitatum, reddituum, solutionum est in Republica. Est in privatis robur milita-

re, labores, tempus, huic soli impensum. Hocque est privati superabundans. Indigentia autem privati, est dignitatum reddituum &c. Tunc si accepto à milite superabundanti satisfecerit Respublica indigentia ejusdem stipendio, dicit miles, non factam sibi injuriam, nec Respubl. dicit injuste plura extorqueri, si ex suo superabundanti non plus expenderit, quam sit satisfactum indigentia Reipublicæ, superabundanti militis. In justitia item vindicativa intercedit simile quid: nam est in Republ. indigentia, ut puniantur mali, & superabundans Reipublicæ; est vis prælationis conferendæ cum potestate puniendi. Judex autem si non tanquam privatus, saltem tanquam pars Reipublicæ; indiget ut exequatur & exerceat illam vim Respublica, suppositaque acceptione, habes superabundans ipsemet illius prælationis. Hinc obligatur ex justitia Reipublicæ vindicare punireque nocentes, explico autem vindicativam per ordinem ad Rempubl. non autem per ordinem ad reum: quia judex tenetur quidem ex justitia punire reum, sed non tenetur reo. Quæ autem dicta sunt de justitiæ speciebus, eadem proportionaliter dicenda sunt, de jure à jubendo: Nam jus naturale est indigentia naturæ intellectualis, ut hoc vel illud fiat, independentem ab omni commutatione, & pacto; Jus autem positivum est indigentia dependens à pacto.

Convenit etiam soli, quia non potest ostendi virtus, quæ non sit justitia, vel species illius, in qua tamen reperiatur indigentia cum superabundanti veniens in communionem vitæ, & adstringens, ut hic, superabundanti suo, expleat indigentiam alterius. Convenit etiam semper, quia quotiescunque non satisfit huic indigentia, committitur injustitia. Ergo, apparet illam semper ingredi justitiam, tanquam rationem æquandi.

CONFIRMATUR Principio Negativo. Quod solum in præsentia sufficiens est; quia ex una parte hæc sententia est Arist. ex alia parte nihil obstat, ut patebit solutione Argumentorum. Et ulterius ex inde elicitur. Quia quodcunque principium oppositi attulerint, tanquam indicium juris, modo sit legitimum, idem in præsentia, circumscriptæ indigentia quadrare poterit.

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur Objectiones.

OBJECIT 1. P. Martinus Olzeŭski jus, de quo hic quæritur, nec quoad rem est indigentia. Ergo. Antecedens probatur. Quia indigentia est malum quoddam. Jus autem bonum,

R. P.
THEO. MIŁOD
JANOWSKI
Tom 3. c. 4.
D. VI
6

bonum, & appetibile. Quoad rem etiam indigentia non est objectum: quia jus, de quo hic quaeritur, debet esse ultimò mensurativum æqualitatis: non est autem talis indigentia: quia, etiam posito, quod veniatur in communionem vitæ cum superabundanti, est necesse adhuc inquirere commensurationem ipsorum superabundantium, non quidem physicam: quia ad hanc non attenditur; sed moralem, & hoc potius mensurativum erit jus, de quo inquiritur.

RESPONDETUR. Indigentiam Aristotelicam, & prout à nobis circumscribitur, non esse malum quid, sed bonum, utpote adstrictivum aliis, ad sui superabundantis expensam. Præter textus adlatos potest etiam hic servire cap. 6. ubi loquens de jure, inquit, *hoc autem est, quod communionem vitæ adfert, ut liberis hominibus & equalibus necessaria sufficiant, atque id vel proportionem vel numero.* Secundum autem Bessario-nis expositionem, apud S. Thomam hæc verba habentur, *hoc autem, supple jus, est inter socios vitæ, ut sit sufficientia liberorum, atque equalium, aut in comparatione rationum consistens, aut in numero.* Ubi, ut vides, jus per sufficientiam explicat, quod idem est ac exsaturatio indigentiae descriptæ. Negatur item explicatam indigentiam non esse ultimò mensurativam: nam ad mensurandum moraliter ipsa superabundantia, debet ex communi ratione virtutis, intervenire prudentia, ut intervenit in omni distributiva, & commutativa, attendereque ad circumstantias pretii usualis, abundantiae, vel defectus talis rei, usus talis vel talis. Sed hæc taxa, attendens ad circumstantias, est taxa antecedens directiva, & ad prudentiam spectans: quia petita ex medio rationis, jam autem, hoc supposito, ultimò mensurativum est; posito quòd hic & nunc tantum valeat meum superabundans, quo ego explevi tantum de indigentia illius, tenetur vicissim tantum ille de suo, explere meam.

INSTAT Pr. Venceslaus Darowski. Vel semper debet intervenire circumstantia superabundantis, ut interveniat jus, vel non semper. Si non semper: quomodo in extrema indigentia justitiam deposcens, ut sibi subveniatur, venit cum suo superabundanti? Item, qui accipiens depositum, venit cum suo superabundanti? Si autem non semper, ad quid id positum est in definitione justitiæ?

RESPONDETUR. Semper intervenire superabundans. Quod attinet ad extremam indigentiam, de hac dictum supra, sed id hic etiam sic enodatur. Is, qui abundat a parte sua, tenetur ex justitia subvenire indigenti, & hic pro sua parte, venit cum suo superabundanti, ad communionem vitæ. Si enim hoc illi non superabundaret, non teneretur ad quidquam ex justitia alteri dandum: siquidem nemo tenetur

subvenire extremæ necessitati unius, per suam extremam necessitatem. Jam autem extremè indigens, cum non teneatur ex justitia acceptare sublevativum suæ extremæ indigentiae, sed ex sola erga se charitate, nec tenetur tunc venire cum suo superabundanti in communionem vitæ. Quanquam dicere quis posset, quod veniat tunc pauper cum sua indigentia, & habeat superabundans illud ipsum, quod exigit hic & nunc detentum in manu ditioris, supponique potest pauper complevisse indigentiam, divitis suo illo superabundanti, non illud extorquendo ante suam extremam necessitatem. Quod attinet ad depositum, uterque venit cum suo superabundanti: hic de bonis fortunæ, ille de bonis animi, hoc est famæ, illius fidelitatem testantis. Jam autem depositum, fidelitatis abundantiam vult. Universaliter, etiam superabundans non debet esse de ejusdem linea boni: sicut enim physicè possunt esse diversa superabundantia, ita possunt esse diversa, quoad classem bonorum.

OBJICIT 2. Pr. Nicolaus Trzaskowski. Jus, de quo hic inquiritur, debet necessariò in suo intrinseco conceptu esse exigivum debiti ab alio. Prædicta indigentia non est talis: indigere enim non est exigere: Indigentia quippe oritur immediatè ex impotentia præstandi aliquid per vires proprias subiecti indigentis; jam autem exigentia, est requisitio alicujus tanquam sibi debiti. Erhinc est, quòd nulla res creata, dicatur exigere concursum Dei ad hoc, ut sit absolutè in rerum natura, sed solum dicitur illo indigere, scilicet tanquam impotens existere à se ipsa. Ens etiam supernaturale, non dicitur esse supra indigentiam, sed supra exigentiam naturæ: quia est supra vires illius. Ergo, si indigentia, quæ talis, non est idem quòd exigentia, & jus, ex formali sua ratione, dicit exigentiam, indigentia non erit prædictum jus.

RESPONDETUR. Indigentiam non quomodocunque nec vulgariter, sed Aristotelicè sumptam, seu prout est principium veniendi in communionem vitæ, suoque superabundanti explendi indigentiam alius, esse jus prædictum.

INSTAT I. Quia vi hujus Responsionis conceditur, quòd jus formaliter acceptum, debeat esse quædam exigentia, sed in hoc solum laboratur, quomodo etiam indigentia possit habere rationem exigentiæ. Si autem indigentia, in tantum habet rationem juris formaliter, in quantum potest inducere rationem exigentiæ. Ergo, præstat potius jus formaliter sumptum explicare per rationem exigentiæ, & simpliciter dicere, quòd, jus formaliter sumptum, sit ipsamet exigentia unius, cui debet commensurari, & adæquare operatio alterius, ut sic clarè explicetur utrumque correlativum.

RESPON-

RESPONDETUR. Non præstat jus per solum exigentiam explicare: quia jus debet esse ultimum resolutorium æqualitatis: dicta autem exigentia, non est ultimum resolutorium: quia restat querere, quare tu hoc à me exigis? quare hoc ego tibi debeo? ad quam legitime respondetur: quia indigentiam tuam explevi, meo superabundanti, vicissim tu debes explere meam, tuo: ut ita, non sis mihi iniquus, sed stet inter nos, communio vitæ. Deinde conformius phrasi Aristotelis, jus appellatur indigentia. Unde, non laboratur in hoc, ut ostendatur, quomodo indigentia possit habere rationem exigentia, modo dicatur, ut à nobis dicatur, quod mea indigentia, intuitu communionis vitæ, fuerit principium, suo superabundanti, satisfaciendi indigentia alterius.

INSTAT 2. Mea v.g. indigentia, potest esse in Angelo principium unde motus, ut is illam expleat absque eo, quin indigentia Angeli, possit mihi esse principium, unde motus, explendi indigentiam Angeli. Ergo, ulterius posset indigentia in aliquo subiecto, rationem exigentia habere, absque eo, quin corresponsdeat illi in altero subiecto ratio debiti, consequenter, per illam non recte explicabitur jus: quia hoc ubique est fundativum debiti. Antecedens supponit, quod inter homines & Angelos possit dari iustitia. Hocque supposito, probatur. Quia indigentia in iis solum potest habere rationem principii moventis ad sui expletionem, in quibus non supponit haberi complementum suæ fortunæ, inter Deum etiam & creaturam intercedit iustitia, & tamen Deus non supponitur posse compleri in sua fortuna.

RESPONDETUR. Sicut indigentia pauperis illa, vulgaris, est principium, ob quod datur illi Eleemosyna, sine ullo actu iustitiæ; ita & Angelo, mea indigentia potest esse principium subveniendi, tunc tamen non erit indigentia Aristotelica: quia sine superabundantis proprii impensione. Sed hoc non obstante, mea indigentia, potest esse principium complendi fortunam Angeli, non quidem ordinariè; quia superabundans nostrum respectu Angelorum, non est ita obvium, absolute tamen reperibile, & ita est in Angelo v.g. indigentia cultus & obsequii, quod possem ego, si vellem, exhibere Angelo, possem etiam non exhibere; cumque Angelus habeat tot superabundantia, quibus meam indigentiam explere possit, possumus venire uterque in communionem vitæ, ut si ille meam indigentiam, illuminando me, satiendo, ditando &c. expleat, cum ego etiam superabundem cultu, & obsequio, bene poterit utriusque indigentia venire in communionem vitæ, cum suo superabundanti, fierique etiam de hoc pactum iustitiale, modo consentiat Angelus. Similiaque alia exempla cum

proportionem adferri possent. Inter Deum autem & creaturam, nulla est iustitia rigorosa, de quo infra.

INSTAT 3. Idem. Indigentia est solum origo commutationum, & non ratio formalis æquandi, iustandique res. Ergo, apparet quod illa jus non sit: nam jus debet esse ratio formalis æquandi iustandique: Antecedens probatur. Quia si ex aliquo, rem suam in commutationem adferentem, inquiras: Cur hanc rem tuam permutas cum illa altera verba gratia? adæquatè respondebit: quia ego hac re indigeo, & ille vicissim ista, per hoc autem nullo modo adhuc redditur una res æquata, & iustitiam commensura alteri, quod tamen esset, si indigentia esset ratio æquandi. Quis deinde non videt falsam esse responsionem, si interroganti: cur emisisti iustè bovem? v.g. 10. taleris: des hanc: quia illo indigni, vi communionis meæ cum altero, in vita sociali. Vera autem erit responsio si dixerit: iustè emi, quia tanti pretii & valoris est bos, quanti 10. taleri.

RESPONDETUR. Indigentiam esse etiam originem commutationum. Hinc si interrogatio procedat de solo accessu commutandi, per indigentiam respondebitur. Caterum si interrogatio formetur, quare iustè 10. taleris bovem emisisti? bene, tanquam per mensuram æqualitatis, respondebitur per indigentiam, non quomodocumque, sed Aristotelicè sumptam, non indigeo plus habere pro meo superabundanti, quod impendi, ad explendam indigentiam venditoris.

OBJECIT 3. Jus in habente debitum, est jus abstractum à commutativo & distributivo, legali & illegali. Jam autem indigentia non est quid ita abstractum: indigentia enim, per Aristotelem citatum, solum in commutationibus locum habet.

RESPONDETUR. Indigentiam solum in commutationibus locum habere, si spectetur, in quo exemplificaverit illam, secus si spectetur, quidnam universaliter æquare & mensurare possit, ut factum à nobis supra.

Deinde discurrens Aristoteles de sufficientia, quæ habetur, si indigentia satisfiat, meminit utriusque proportionis, seu proportionalitatis spectantis legaliter ad Geometriam, & numeri spectantis ad Arithmeticam. Quibus duobus clauditur distributio, & commutatio.

INSTAT 1. Assumendo aliqua principia explicantia, quid jus secum trahat.

I. PRINCIPIUM. Jus in exigente est mensura æqualitatis alteri debita ex iustitia. Indigentia non est talis; alioqui debens Petro centum aureos indigenti, pro complemento suæ fortunæ, mille aureis non satisfaceret iustitiam reddendo centum.

* E

RESPON-

R. P.
TH. MILOD
iaowski
Tom 3. c. 4.
D. VI
6

RESPONDETUR. Nego Minorem. Nego item indigentem mille aureis, indigere in exemplo adlato indigentia Aristotelica explicata, plus quam centum aureis: quia cum superabundans, quo explevit sui debitoris indigentiam, fuerit centum, non indiget à creditore plus sibi dari iustitiam, licet habeat indigentiam vulgariter.

SECUNDUM Principium. Jus in exigente debitum, debet esse compulsivum ad satisfactionem. Indigentia non est talis: quis enim potest me compellere ad dandum alteri librum: quia ipse libro indiget?

RESPONDETUR. Indigentiam non quomodocunque nec vulgarem, sed Aristotelicam h. e. quæ est principium in communione vitæ suo superabundanti expletivum indigentiae alius, requiritur sit compulsivum, talis autem indigentia non ponitur ab arguente.

3. PRINCIPIUM. Jus in exigente debitum, est in potestate exigentis positum, ita ut ei pro arbitrio renunciari possit. Indigentia autem non est posita in voluntate indigentis, sed est, ut plurimum effectus necessarius.

RESPONDETUR. Quod indigentia descripta superabundantis quod respondeat ad superabundans, quo alius, explevit alicujus indigentiam, cadere possit sub potestatem indigentis, eique renunciari potest; licet vulgaris indigentia, non cadat sub eam potestatem.

INSTAT 2. Ex absurdis. Indigeat Joannes & Jacobus equo Petri. Joannes solvat pretium equi, Jacobus non solvat, in solo Joanne erit jus & tamen in utroque indigentia. Deinde, si quis pauperum veniret ad mercatorem divitem, exigendo centum, eo quod illo indigeat; responderetur illi, quid ad me, quod tu indigeas, cura tuam indigentiam aliunde, & non ex meo marsupio? Quod ulterius fundatur in hoc principio, quia jus est, ratione cujus, aliquid est meum vel tuum, talis autem non est indigentia.

Denique posita inæquali indigentia vendentium, deberet inæquale pretium dari ab emente. Et ita, si pro eodem calice parando, unus plus expenderit ratione onerum civitatis, conductæ domus, &c. similia, posset plus accipere, quam alter, qui tantas expensas non fecit.

RESPONDETUR. In solo solvente Joanne, est jus exigendi equum: quia in solo Joanne est indigentia Aristotelica: solus enim explevit superabundanti suæ pecuniæ, indigentiam Petri. Pauper etiam non habet indigentiam Aristotelicam respectu mercatoris: quia nullo suæ fortunæ superabundanti, explevit indigentiam mercatoris: semperque hæc indigentia formabit meum & tuum, quando erit principium intentione communionis vitæ explendi superabundanti suo, alius indigentiam.

Quod attinet ad inæquales indigentias: is qui plures expensas fecit, potest iustitiam, cæteris paribus, plura exigere; attollunt enim pretia ex talibus circumstantiis; sed quia emens indigentiae suæ potest satisfacere cum minori superabundantis expensa; ita tamen, ut indigentiae alius venditoris satisfaciatur; ideo potest licite emens diminueret pretium, dicendo, per accidens se habere ad præsens, illas expensas.

INSTAT 3. Potest esse jus verum, sine omni indigentia; quia aliquis millionum dives, non indiget tot, & tamen habet jus ad, & in suam pecuniam.

RESPONDETUR Aristoteles. Quod possit aliquis pro futuro tempore indigere, adeoque habere Sponsorem nummum; præcipue cum quæcunque divitiæ exhauriri possint, majoribusque indigeant expensis. Indiget item ne suum superabundans fiat alienum, se non volente, & hæc indigentia est jus, quo se tuetur contra furta.

COLLIGES. Huic indigentiae, quæ est, principium intentione communionis vitæ v. g. contrahendi, obligandi, explendi suo superabundanti indigentiae alterius, respondere debitum, tanquam correlativum juris, ut alter suo superabundanti expleat illam.

QUÆRES. Cum indigentia, quam appellamus Aristotelicam, sit mensura iusti, quomodo hæc indigentia erit ipsum jus, seu iustum formaliter? Responderi potest. Quod sicut ratio segregativi visus, est ipsum segregativum formaliter, sicut item ratio frigidi, est ipsum refrigerativum formaliter; ita & ratio æquandi, seu, quod idem est, mensura iusti est ipsum jus, seu iustitia formaliter. Quod ipsum in hanc Majorem resolvitur. Ratio formalis alicujus, est ipsum illud formaliter, supple, ut Quo, acceptum; jam autem ratio formalis iusti, est ipsum jus, adeoque illud jus, erit ratio iusti formaliter, supple, ut Quo, accepti. Et quia hoc jus ut est probatum, est ipsa indigentia, hinc indigentia erit ratio iusti Quo iusti formaliter.

Punctum Difficultatis 3.

Explicatur Ius Iustitiale ex Sancto Thoma.

IN sistemus doctrinæ Sancti Thomæ, inclusæ hic q. 58. a. II.

PRÆMITTO I. In omni questione, quæ est de conceptu rei alicujus definitivo, attendi debere inter alia ad coæquationem definitionis & definiti; hoc ipso enim non essent idem. Et quia contra æqualitatem peccatur & excessu & defectu,

ad

ad utrumque in definitione attenditur. Si enim alius conveniat, quam definitio, est inaequalitas per excessum, peccaturque contra Regulam definitionis, quae debet convenire sibi. Si autem non omnibus definitis conveniat, est contra aequalitatem per defectum, peccaturque contra Regulam definitionis, quae debet convenire omni. Et quia essentiam rei definitio explicat; essentiae autem rerum sunt aeternae, debet convenire definitio semper, & per aeternum, quod in se habet omnem differentiam temporis. De quo fusius in Aurora de Poenitentia.

PRÆMITTO 2. *Quod in formalitatibus definitivis attendi ad hoc indispensabiliter debeat, ut illa sint ultimum resolutorium, & terminarium questionis de natura rei.* Probat hoc inductio: nam malè definitur homo, quod sit animal risibile, cum risibili detur prius. Cujus inter alias hæc ratio est. Quia definitio est principium scientiarum, notitiarumque evidentium; principium autem debet non habere aliud prius in illo genere; si autem non debet aliud prius se habere principium, debet esse ultimum resolutorium: hæc enim in idem coincidunt in linea essendi. Addo, definitionem esse primo essentiali conceptum; debet ergo procedere per prima: quia hoc ipso non esset essentialis conceptus: primum autem coincidit cum ultimum resolutorio, sicut & principium est ultimum ab illa parte lineæ.

PRÆMITTO 3. *Unde sit cognoscenda ultimitas resolutorii contenti in definitione.* Certum est, non esse dignoscendam ex hoc, quod sit extinctiva omnis alius interrogationis: est enim humanum ingenium, interminabilium questionum repertivum; & si deveniretur ad extinctivum omnis interrogationis, quale est illud, quodlibet est vel non est, hoc ipso non esset definitivum rei, de qua quæritur, utpote commune pluribus: quia tamen definitio debet procedere per prima, adque ultimum resolutorium, consequenter extinctivum interrogationis, id ita accipiendum erit, ut omnis definitio sit extinctiva interrogationum, legitime, retenta illa materia, formabilium: si enim in alia materia formentur interrogationes, jam non de definitione quæritur: tunc autem sunt formabiles interrogationes, quando potest prior & clarior dari conceptus: illud enim prius, erit resolutorium. Sed si ponitur debet non nisi inductio, illa non adferet priorem conceptum, nec definiret rem. Item si debeant non nisi notificari termini: nam tenuitas hujus percipientis, cui hoc est notificandum, non destruit bonitatem & claritatem definitionis; sed debet esse aliquid prius & clarius secundum objectivam formalitatem, quæ si

non adferatur, & cætera sint paria, bona, erit prædicta definitio. *His præmissis*

Jus nihil aliud erit, quam, quod suum. Seu, Titulus ad suum. Vel alia phrasi. Ratio quare hoc quidem suum est. Vel mei & tui ratio in rebus objectivè spectata. *Quod ipsum*

EXPLICATUR. Fundamento habito ex S. Thoma citato. Objectum materiale justitiæ est operatio externa: formale autem ejus est honestas aequalitatis ad jus alterius, seu ut loquitur S. Thomas *secundum quod ipsa*, supple operatio vel res, qua per eam utimur, proportionatur alteri personæ, ad quam per justitiam ordinamur. Porro tunc ad alterum per justitiam ordinamur, quando illi reddimus justum, hoc autem est justum unicuique personæ, quod est suum, consequenter id, quod erit ratio: quia hoc quidem suum est, idem erit & jus. Recurrit ad Ly *suum* in explicatione juris Esparza & Dicast. tr. i. d. i. n. 25.

RATIO 1. Explicationis est. Quia verus est iste expositivus. Hic faciens actum justitiæ est reddens hoc, quod jus est. Sed hic faciens actum justitiæ, est reddens quod suum est. Ergo hic reddens, quod suum est, est reddens hoc, quod jus est. Ergo, ulterius, quod suum est, & jus idem erit. Quia, alias reddens quod suum non redderet, quod jus est: si quidem hæc duo non idem essent.

RESPONDEBIS. Quidquid sit de re subiecta, præcise spectata, vi Formæ, non videtur ex illo Syllogismo expositivo, rectè inferri. Ergo quod suum est, & jus idem erit, non magis, quam si quis argumentetur. Hoc volans, est movens alam dextram. Hoc volans est movens alam sinistram. Ergo hoc movens alam dextram, est movens alam sinistram. Ergo ulterius, ala dextra, & ala sinistra, idem erit.

CONTRA. Tum quia. In Syllogismo, qui opponitur prædicto expositivo, committitur fallacia accidentis; nam ex eo, in quo conveniunt movens alam sinistram, cum movente alam dextram, nempe in ratione volantis, arguitur ad id, in quo non conveniunt: neque enim motus alæ sinistrae, est motus alæ dextræ. Nihil horum est in Syllogismo à nobis formato. Tum quia. Syllogismus, qui opponitur, est ex particularibus, licet illi vocaliter addatur Ly hæc. Ex eo autem est ex particularibus: quia inter subiectum & prædicatum non est coæquatio, consequenter, non est in illo (ut alibi dicitur) accommodata distributio: alicui enim tantum, quod est volans, competit esse motus alæ dextræ, & non omni; cui competit volare. Est autem adæquatio requisita & accommodata distributio in Syllogismo à nobis posito: omni enim cui competit, esse facientem actum justitiæ, competit, esse reddentem alteri, quod alterius est, & esse reddentem,

* E 2. quod

quod suum. Tum quia, in expositorio à nobis posito, in Majori ponitur pro prædicato definitum, in Minori definitio: Jam autem motus alæ sinistrae cum motu alæ dextrae, non sunt sicut definitum & definitio: Ad defendendam rationem secundam propositam, & pernoscentiam vim expositorii; legantur dicta in 1. Parte disp. ultima n. 21.

RATIO 2. Id est definitivum juris, quod adhibent legitime omnes ad explicandum jus, sed Ly, quia hoc, suum est, adhibent omnes legitime ad explicandum jus. Quod probatur Inductione. Et ita si aliquis perdat librum, inventori dicit, redde, non habes ad hoc jus, meum, non tuum est &c. Ergo apparet legitime quod suum est adhiberi ad explicandum jus.

RATIO 3. quia prædicta definitio, omni, soli, & semper juri convenit: procedit per prima: & reliquæ explicationes ad hanc revocari possunt tanquam ad aliquod prius: verbi gratia, tenet hæc illatio: hic præferri debet in habenda hac re. Ergo illa, sua est, bene item arguo, suum est. Ergo sequitur, ut possit hoc cadere sub legitimam illius dispositionem, deposceret Ly suum, dispositionis libertatem, per modum proprietatis ad id quod suum est. Ergo sequitur, ut sine injuria, non possit auferri. Imò ex ipsa expletionem suo superabundanti indigentia alius, tenet tanquam ad superius, consequentia. Ergo hoc suum est. Licet explicatio per indigentiam sit cæteris magis resolutiva formalitas, proximiusque ad præsentem accedens. Si autem cætera sententia in hanc resolvuntur, hoc ipsum illi præ cæteris adfert probabilitatem.

DICES 1. Ly Ratio, est terminus nimis Genericus.

RESPONDETUR id non obstare, cum non possit adferri genus inferius, præcipue cum ipsum jus nimis latè pateat. Ly autem Ratio, debet hic sumi pro objectiva formalitate, non autem, pro formali, seu actu intellectus.

DICES 2. De hoc ipso quæri, quare hoc quidem suum est?

RESPONDETUR. Quæri quidem, sed ad hoc ulterius responderi non potest in linea justitiae per aliquid prius: per quid enim? sed fiet non nisi inductio mera, exemplificando jus in hereditate, emptione, distributione &c.

DICES 3. Hoc, quod est aliquid, esse suum, potest accipi, pro affectione amoris, pro suo, ratione superioratus v. g. est suus, hoc est subditus. Ergo Ly esse suum ambiguum est.

RESPONDETUR. Ly suum dictum de amico vel subdito, nunquam absolute significat, sed cum addito expresso vel tacito: quia incluso in aliquibus circumstantiis, & ita, si quis complectens alium, dicat, meus est, supponitur pro, amicus; circumstantiæque amicitiam significant. Si quis Prælati interrogetur, qua-

retam liberè mander? respondebit, meus est, sed ipsæ circumstantiæ supponunt pro subdito, & significant eundem æquivalenter. Jam autem sine ullo addito sufficit in justitia dicere, suum est; quale sine addito suum ponitur in definitione. Denique in explicando esse id suum, in aliis materiis semper recurretur ad titulum, qui res ipsas non dicit, sed affectiones, ordines voluntatis, adeoque non justitiales titulos. Jam autem esse suum justitiale, semper ex rebus sumitur, recurrendo & involvendo medium rei, quod est nota justitialis.

DICES 4. Hæc explicatio solum ostendit, quid sit jus, & non, quæ res sit jus.

RESPONDETUR. Quid sit & quæ res sit, non distingui in explicatione formalitatum universalium: cum ipsæ, non sint demonstrabiles in se. Unde suffecerit, quæ res sit jus, solum in individuis demonstrari, nempe est emptio hæc, distributio hæc &c.

DICES 5. Nemo hanc sententiam docuit.

RESPONDETUR. Docuisse S. Thomam ex Ulpiano in definitione justitiæ innuereque illam Esparza & Dicastillo.

DIFFICULTAS II.

An Ius sit designatio Iuridica Terminorum libertatis?

DISCUTIENDA hic est explicatio juris, quâ utitur Antonius Perez.

PONEBAT 1. Totam hanc difficultatem in duobus consistere. Primo. In exponendo genere boni; quod adfert justitia, & aufert injustitia. Secundo. In exponendo fundamento colligationis justitiæ.

PONEBAT 2. Bonum, quod adfert justitia, non esse bonum v. g. pecuniarum, famæ, &c. sed bonum libertatis, arbitrii, ut potentis dirigi per prudentiam monasticam, ad suam felicitatem liberam. Dicitque hoc per se patere: constat enim bonum debitum per justitiam, esse suum, seu illius, cui debetur; nihil autem dicitur esse suum propriè, nisi per respectum ad dominium, ad libertatem. Unde nec quælibet actio, elicit ab homine, vocatur humana: sed non nisi libera: quia non nisi libera actionis dominium habet.

PONEBAT 3. Inter partes felicitatis præcipuam esse cognitionem veram: quia miseria illi contraria, cognitio falsa, omnes infelicitatis partes adfert, errorem, gaudium falsum, denique dolorem, vel inquietudinem; hinc impeditio etiam scientiæ veræ, erit injuria, quam injuriam facit peccator, non consentiendo gratiæ oblatae, per quem dissensum, impedit, ne sciatur consensus gratiosus à Deo. *His positis*

INFE-